Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3341
Quelle:
Copyright:



tatis Cancellario et *Basileensium* Oratoribus *Marco Bonfilio*, *Stanislao de Sobmaro* Praep. *Tridentino* et *Canonico Cracov. Derzlao de Borzmaw Archidiac. Cracov. et Guilelmo de Parma.* Initium: *Deliberantibus nobis, quid super instanti requisitione — responsuri sumus, vnum illud Propheticum: Errauerunt ab utero* &c. Papam Concilio subjiciunt. Inseruit hoc Responsum *C. Eg. Bulaeus* Historiae *Univ. Paris. T.* V. p. 479. sed ibi ad ipsum Regem *Wladislaum* dirigitur.

XV. *fol.* 270. absque titulo, sed ut habet subscriptio: *Sermo de conceptione beatissime marie virginis pronunciatus in concilio Basilen. per reuerendum patrem dominum Episcopum Dignensem Anno domini M° CCCC° Tricesimo sexto.* Episcopus hic *Dignensis* in *Gallia Petrus* erat, dictus *de Vercellis*, Legatus ad Concilium a suae Provinciae Episcopis et *Ludovico* III. *Siciliae* et *Hierosol.* Rege, variis aliis missionibus functus et in sede *Meldensi* mortuus 1446. Sermo illius infit: *Memoria mea in generationem seculorum. Eccl. XXIIII. hec uerba scribuntur que quidem verba ad litteram sumpta dicuntur de diuina sapientia* &c. Improbantur notae contentiones de Virginis conceptu, *perscrutantium, in quo instanti deus eam sibi gratificauerit, quod tamen nullus scit, nisi ipse deus et cui reuelare uoluerit. Quod de hoc*, pergit, *habent scripture, hoc solum dicatur, quia quidquid dignitatis est et prerogatiue, attribuendum est marie, quantum non repugnat scripture. Et amplius interrogare non est utilitatis. Contendere vero super uno instanti potius est methaphisicorum* &c. Nullibi videtur *Sermo* impressus.

XVI. *fol.* 278. *Sermo* (rursus ex subscriptione) *pronunciatus in concilio sacro generali Bas. per eximium sacre theologie professorem Magistrum Henricum tocke Canonicum Magdeburgen. in dominica die Aduentus domini Anno domini M.* 1436. Per *Adventum Domini* intelligenda hic videtur *Dominica Palmarum;* ita enim orditur orator: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. XXI. Et in evangelio hodierno. Magnum Opus et arduum loqui coram hac sacra congregatione generali* &c. Atqui *Evangelium* illud *Dominica in Palmis* legitur. Finem versus haec habentur. Basilei *dicuntur reges et uos dominus in hac precelsa ciuitate* Basilien. *congregauit in vnum, ut regatis ex ea vniuersum mundum. Sileant ergo qui aliquid fidei sinistrum aut ecclesie vnitati contrarium vaticinantur esse futurum ex* basilea, *non enim locus erit in culpa sed qui in loco congregati sunt, de bene uel male gestis rationem reddere habebunt. Loci nomen ex grammatica factum aliquod promittit et regium decorem, ut ysidorus attestatus est, quoniam reges dicuntur* basilei, *et* basilea *vtique regia interpretatur, et de* basilea *bonum regimen exoriri poterit, si saltem apprehendatis disciplinam* &c. De Autore quaedam dicta sunt alias. Consule *Indicem.*